

quoque uel plurimum ualet: Est enim amplificatio uehemens quaedam argumentatio, ut illa docendi causa sit, haec commouendi. C.F. Perge igitur ordine quatuor mihi istas partes explicare. C.P. Faciam, & à principiis primum ordiar: quae quidem ducuntur aut ex personis, aut ex reb. ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. Quorum primus locus est in personis, nostris, disceptatorum, aduersariorum, è quibus initia beneuolentiae conciliandae comparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere uirtutis, & maxime liberalitatis, officij, iustitiae, fidei, contrarijs rebus in aduersarios conferendis, & cum ijs, qui disceptant aliqua coniunctionis aut causa, aut spe significanda, & si in nos aliquod odium, offensionis collata sit, tollenda ea, minuendaue, aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando. Intelligenter autem ut audiamur